

tissimum optime vitæ cultus constanti studio vobis exhibeatur, eumque in finem omnes nostræ cogitationes, verba, et opera non modo ad vestrum honorem post Deum sincera intentione dirigantur, sed hæc ipsa etiam de causa cum singulari diligentia atque perfectione peragantur. Obsecro vos igitur, suscipite me indignissimum clientulum vestrum et dum varia clientibus vestris beneficia impetratis, ad me quoque licet postremum oculos vestros misericordes convertite, et tum constantiam in vita, gratia, et vestro Sanctissimo cultu, tum copiosam ad omnes actiones meas rite perficiendas benedictionem, gratiamque a Deo impetrate. Intercedite quoque pro defunctis, et viventibus omnibus; et illis quidem requiem et veniam, et vivi vero et mihi copiosam a Deo gratiæ auxilium obtinete, quo Sanctissimum ejus voluntatem semper cognoscere, et perfecte adimplere, vitamque nostram feliciter claudere valeamus, ad quam ipsam proinde vitæ meæ casualam demississime vos invito, rogoque simpliciter, ut ita mihi assistere, meque contra omnes hostium meorum insidias, atque conatus defendere dignemini, ut vestro auxilio adjunctus feliciter de iis triumphem, atque in vestram sanctam societatem admittis pro meis simul ac vestris beneficiis æternas illi laudes perfectissime decantem. Amen.

III. Ul, dum quotidie mane per bonam intentionem opera nostra ordinamus, ea ad Sanctorum horum honorem post Deum dirigamus, et hoc ipso etiam accurate peragamus; in quocumque vero casu magna cum fiducia ad eosdem confugiamus, auxiliumque nihil hæsitantes expectamus. Occurrente vero festo eorum principali unum alterumve opus, v. gr. confessionis et communionis adiciamus, sicut si quis interdum propter hospitem novum advenientem singulare aliquid fereulam adijcere solet. Atque hunc demum cultum omnibus Sanctis gratissimum esse aio et facillimum juxta illud eflatum Senecæ: « Numinis (quidni et Sanctorum) est cultus pulcherrimus (gratissimus) optima vita. » Et gratissimum quidem aio quia *purissimus* est, id est, ab omni deliberata culpa immunis: *amplissimus*, quia omnis generis opera et virtutes complectitur: et *constantissimus*, quia die nocteque, et per totam vitam indesinenter exhibetur, atque adeo merito perpetuus cultus vocari meretur juxta illud S. Augustini sapientissimum dictum in

Ps. cxxviii. *Vis semper laudare Deum (et Sanctos illius)? Bene fac omnia, quæ facis, et semper laudasti Deum.* In hunc ergo cultum particulares vestras devotiones convertite, nec dubitate quin id, quod per illas obtinere sperabatis, per hunc sitis abunde compensaturi.

#### Epilogus.

Quæcum ita sint, nihil aliud superesse video, quam ut manum operi admoveatis, et templum quod hæcenus in honorem aliarum creaturarum extruxistis, in omnium Sanctorum honorem consecratis. Agite ergo, et hos denuo illo quem dixi, aut alio simili modo in Patronos vestros eligit: hos deinceps velut *Spectatores* vestros colite, illudque S. Davidis constantiter usurpate: « In conspectu Angelorum et Sanctorum psallam et serviam tibi Deus meus. » Hos velut *Advocatos* honorate, illudque S. Bernardi monitum circa eos observate: « Modicum, quod offerre desideras, venerandis illorum manibus offerre memento, si non vis suslinere repulsam. » Hos denique velut *Protectores* vestros veneremini et invocate juxta ejusdem S. Bernardi consilium: « Quoties gravissima videtur urgere tentatio, aut tribulatio vehementer imminere, invoca ductores tuos, custodes tuos, adjutores in opportunitatibus et tribulatione. » Sic, si vicissim vos in clientes benigne suscipiant; sic eorum favores, ut sperabatis, experiri merebimini et tandem in eorum etiam societatem recepti, perpetuas cum iisdem laudes gratiasque pro vestris et aliorum beneficiis per totam æternitatem Deo cantabitis. Amen.

#### Alii conceptus.

I. Simili modo possent alii conceptus de hæc materia formari, et quod hic unica concione propositum est, per plures explicari, hinc verb. gr. posset ostendi, quod militia sit vita hominis super terram, et in prima parte concionis exponi, a quam multis hostibus oppugnemur, atque adeo merito, cum puero Elisei clamemus: Heu, heu, Domine mi, quid facienus? In altera vero parte ostendi posset, quomodo nobis in subsidium et auxilium comparatus sit exercitus omnium Sanctorum, quoad multitudinem innumerabilis,

quoad fortitudinem insuperabilis, et quoad promptitudinem succurrendi inestimabilis.

II. Posset ostendi, quam multas causas habeamus in celesti consistorio tractandas, quamque adeo boni Advocati sint nobis necessarii, qui propter suam sapientiam singularem *sciunt*, et propter auctoritatem, quam habent apud Deum, *possint*, et propter eximiam erga nos charitatem *velint* pro nobis apud Deum efficaciter intercedere, et quomodo hæc tres proprietates perfectissime in Sanctis reperiantur.

III. Posset ostendi, quam necessarii nobis sint amici boni in hæc vita, quorum consiliis juvemur, conversatione recreemur, beneficiis fovemur, auxilio protegatur: deinde, quod ad tales amicos tres condiciones a S. Bernardo in Psal. qui habitat explicite requiruntur, videlicet ut *Potentes, prudentes, fideles* sint; et tandem quomodo hæc omnes condiciones seu proprietates perfectissimo modo omnes Sancti in se contineant.

IV. Posset ostendi, quomodo Sancti docuerint nos exemplo suo cælum expugnare. 1º Fodiendo cuniculos humilitatis; 2º concutiendo muros per globos orationis ex accenso pectore velut bombardam emissos; 3º admoveendo scalas mandatorum Dei: confringendo portas per violentiam suis appetitibus illatas; 4º injiciendo ignem charitatis Dei et proximi, de quo Christus dixit: *Ignem veni mittere in terram.*

V. Posset ostendi, quomodo Sancti veluti peregrini nobis ostenderint veram viam ad cælum, dum per multas tribulationes introierunt in illud. Unde probari posset, quod via crucis sit rectissima, securissima, et jucundissima ad cælum via.

VI. Posset ostendi, quomodo juxta ejusdem Ecclesiæ eflatum acceperint coronas decoris de manu Dei, scilicet coronas de lapide pretioso, sed triplici modo potissimum, quorum primus est *omnis mali absentia*, juxta illud Apoc. c. xxi. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum*; alter *omnis boni presentia* juxta illud Exod. xxxiii. *Veni, ego ostendam omne bonum tibi*. Tertius, *utriusque indesinentia seu perpetuitas*, juxta illud Joan. c. xvi. *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

VII. Posset ostendi, quomodo Sancti nunc vere audiverint illud ad Moysen dictum Exod. xxxiii. *Veni, ego ostendam omne bonum tibi*, præcipue vero bonum honestum per varios honores in terris et in cælis obla-

tos: et bonum delectabile per corporis et animi delectationes, quæ proinde copiosius explicari possunt. De quo vide Fabrum in festo Omnium Sanctorum Conc. ii. iii. et vii.

VIII. Posset ostendi, quomodo per varias portas intraverint Sancti. Unus per Christi imitationem, qui de seipso dixit: *Ego sum ostium*. Alius per amorem et cultum B. Virginis, quæ Janua cæli, et felix cæli porta vocatur. Alius per portam Crucis *dem Creutzthor*. Alius per portam parvam et angustam, *durch das Einlas Thorlein*, quæ dicit ad cælum, teste Christo, et est porta humilitatis. Alius per portam speciosam charitatis Dei et proximi; qui omnes proin modo quam efficares sint ad celestem gloriam, breviter per singulos ostendi potest; aut si magis placet omnes tantum breviter referri, et unus dumtaxat fensus deduci.

IX. Posset ostendi, quomodo ad magnam cenam, nempe cenam Agni sint intromissi. Atque adeo 1º explicari posset, qualis et quam desiderabilis ea cœna sit propter ferocolorum varietatem et abundantiam, quarum omnium vicem Agnus subit: propter convivarum optatissimum societatem et præstantiam: propter durationis longitudinem et perpetuitatem. 2º Probari posset, quod Sancti ad hæc cenam intromissi sint, quia Deo invitanti per omnia vacauerunt genera diligenter et celeriter paruerunt, atque adeo vestem nuptialem gratiæ, aliarumque virtutum tam sollicitè prepararunt.

X. Posset ostendi, quam verum sit illud Psal. lxxxiii. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te*. Atque adeo ostendi 1º Quam ampla sit hæc domus juxta illud Baruch. c. iii. *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus*. 2º Quam lucida juxta illud Aroc. xii. *Non egebunt lumine lucerne, nec lumine solis, quoniam Deus illuminabit illos, et lucerna ejus est Agnus*. 3º Quam bene instructa omnibus bonis juxta illud Psal. xxxv. *Inebriabuntur ab ubertate domus tue, et torrente voluptatis tue potabis eos*. 4º Quam grati et amabiles incolæ juxta illud Psal. cxxxii. *O quam tonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.*

#### Exemplar secundum.

Quomodo tota alicujus Sancti vitæ in concione percurri possit.

## Thema.

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. XII.

Pro festo S. ANTONII DE PADUA.

## Scopus.

Ostendendum quomodo per totam vitam S. Antonius velut lucerna ardens, pulcherrima variarum virtutum exempla reliquerit.

## Syllogismus principalis.

Tum merito imitandus est S. Antonius, quando ille in tota vita sua perfectissime Christo se conformare studuit; atqui ita fecit; ergo merito est imitandus.

## EXORDIUM.

Solent in magnis festivitibus vel Natalitiis Principum varæ solemnitates, et ludæra spectacula, puta ignes missiles, convivia, certamina, comediæ institui et exhiberi. Simile quid optarem, ut in hodierna S. Antonii de Padua, viri vere sanctissimi, et omni laude dignissimi festiuitate a meis auditoribus fieret; certe, ut fiat, insigniter cooperar. Quare quia non dubito, jam ignes missiles plurimos ardentissimarum precationum in cælum ab ipsis emissos esse: sed et certamen iuicidissimum cum Demone et vitibus suis per confessionem fuisse susceptum; plerisque etiam celeberrimo et Angelico convivio SS. Eucharistiæ fuisse pastos, mihi id solum relictum video, ut comediæ ipsis exhibeam, pro qua, quia et utilissimam, et copiosissimam materiam S. Antonius mihi suppeditat, hæc ipsam modo, et non aliam eligere decrevi. Sanctum itaque Antonium per quinque actus more comicorum vobis exhibebo, et ne comediæ hæc sine fructu abeat, cuique actui chorum suum subjugam, in quo quid ex representatis S. Antonii actibus discere debeamus, breviter ostendam. A vobis interea tanto maiorem attentionem expecto, quanto magis amatam a vobis esse scio illum, quem vobis spectandum in præsentî concione offerre decrevi.

## Pars prima.

In primo itaque actu S. Antonium cum Christo nascentem vobis represento, ubi tamen nihil de corporali Nativitate dicam, utpote quæ, sicut in nostra potestate non est, ita parum quoque laudabiles nos facit. De spiritali itaque Nativitate solum mentionem faciam, in qua merito dicere poterat S. Antonius: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus nascens.* Gal. II. Nam 4<sup>o</sup> quemadmodum de Christo S. David Psal. XXXIX. dixit: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei;* ita et S. Antonius mox ab initio adolescentiæ suæ Dei voluntatem et vocationem inquisivit dicens cum S. Paulo Act. IX. *Domine, quid me vis facere?* 2<sup>o</sup> Quemadmodum Christus mox in Nativitate sua mundum per obedientiam, paupertatem et castitatem prostravit, ita similem victoriam mox ab ingressu in Religionem S. Antonius per accuratissimum earundem virtutum studium reportavit. 3<sup>o</sup> Quemadmodum Christus post octo natalitatis suæ dies circumcidi voluit, et dulcissimum Jesu nomen accepit; ita S. quoque Antonius spiritaliter semetipsum circumcidi, et profanum nomen Ferdinandi in sanctius Antonii nomen mutavit, ut vel sic etiam ad præstantissimas magni Antonii virtutes imitandas excitaretur. 4<sup>o</sup> Quemadmodum Christus partim a parentibus Deo in templo oblatas est, partim seipsum obtulit; ita S. quoque Antonius per professionem religiosam, partim a superioribus suis oblatas est, partim seipsum non sine insigni animi voluptate obtulit. 5<sup>o</sup> Quemadmodum Christus in Ægyptum fugere coactus est; ita S. Antonius noster sponte in eandem Ægyptum martyrii obtinendi gratia cum superiorum facultate profectus est, licet paulo post ob morbum iterum redire debuisset. 6<sup>o</sup> Quemadmodum Christus in templo triduum insecis parentibus consumpsit; ita S. Antonius Assisium invitit parentibus suis profectus totum se ardentissimo precandi studio impendit. Quis ergo non dicat, præclare in Nativitate cum Christum imitatum esse?

Huic ergo primæ parti per modum chori unicam tantum sententiam ex Salomone subnecto. Eccles. XII. *Memento Creatoris tui*

*in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent,* qua sententia indicare volo, quantopere referat, juventutem bene collocari, utpote a cuius qualitate tota fere reliqua vita dependet. Et sane optandum foret, ut ipsa juventus initio rationis obtentæ perfectam prudentiam haberet, ut sibi in futuros annos consulere posset; sed quia id Deo non placuit, parentes saltem id supplere deberent: meminere ergo sententiæ S. Gregorii: « Cogitas magnam exstruere fabricam celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis » (et aliarum virtutum, maxime autem devotionis.) Venite ergo, o parentes, et a parentibus S. Antonii officium vestrum addiscite. Illi domi cum diligentes continebant, ne in malas socios incidere. Illi peccatum et otium vitare docebant, atque ideo Religiosis mature instruendum offerebant. Illi in templum propinquum ducebant. Illi pauperibus elemosynam distribuere iubebant, ut ab infantia misericordia cum ipso cresceret. Aspice ergo, et facite secundum exemplar, quod vobis monstratum est. Sic sperare poteritis, quod de Tobia c. XIV. scribitur: *Omnia autem cognatio ejus, et omnis generatio ejus in bona vita, et sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent, tam Deo, quam hominibus, et cunctis habitantibus in ea.*

## Pars secunda.

In secundo actu S. Antonium vobis presentem sisto, nam hic optimo iterum jure dicere poterat: *Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus crescens.* Nam imprimis sicut de Christo ab anno duodecimo usque ad trigesimum nihil aliud scriptum erat, quam quod subditis parentibus suis fuerit, ita et de Antonio nostro per eosdem fere annos vix quidquam aliud scriptum reperitur; nimirum et ipse totus erat in præscripto obedientiæ implendo. Unde Assisii nemo ipsum curabat, utpote parum utilem et idoneum. Sed hæc nimirum erant hominum iudicia, alia erant iudicia Dei; secundum hæc profecto dici poterat: Antonius crescebat sapientia, ætate, gratia coram Deo et hominibus, id quod paulo post exhibuit, quando orationem habere jussus est; tunc enim tanto cum fervore, devotione atque eloquentia peroravit, ut omnes in admirationem suam traheret; ut adeo me-

rito saluberrimam hæc Christi sententiam Marti. VI. prolata pro choro subnectam: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Qua sententia admonere vos volo, ut cum Christo et S. Antonio singularem diligentiam in occulta Sanctitate comparanda adhibeatis. Ita enim Deus tum per naturam, tum suo exemplo docuit. Per naturam quidem, dum omnia pretiosa occultare voluit. Quid pretiosius auro? Quid gemmis, unionibus? Et tamen quis nescit, quantopere hæc occultaverit natura, ita ut non nisi ingenti cum labore et difficultate acquirantur? Quid dico? Quis unquam sanctius vivit, quam ipse Servator? Et tamen vix quidquam de ipso a duodecimo anno usque ad trigesimum scriptum est. Nimirum verum est, quod de ipso Sponsa Cant. IV. dixit: *Sicut fragmen mali punici, ita genu tuæ absque eo, quod intrinsecus laet.* Sed et ipse Sponsus de Sponsa ait: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Psal. XLIV. Nempe sicut ii, qui pretiosas merces alio transvehere volant, semper tutiora loca eligunt, ita qui virtutes pretiosas, quas exercebant, in cælum secum portare volunt, occultam tanquam viam securiorem eligunt. Vultis autem scire, quanam sit vita occulta? Aio tunc vitam occultam intentionem soli Deo placendi bonis operibus vestris præfugatis: si in ipso opere perficiendo omnem conatum et diligentiam adhibeatis: si difficultates occurrentes insigniter superetis, nec de his omnibus apud homines vos iactatis, sed contenti sitis, quod soli Deo nota sint omnia, atque adeo respectu Dei illud Seneca dictum usurpetis: « Ille ego, mi Lucili, non nullis, sed tibi: fati enim magnum alter alteri theatrum sumus. » Tunc profecto etiamsi homines non vident, cum veritate de vobis dici poterit: Crescebat, et proficiebat sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines. Tunc attribui vobis poterit illud Apostoli ad Coloss. III. *Mortui estis, sed mundo: vita vero est abscondita cum Christo in Deo; cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc etiam vos apparebitis cum ipso in Deo.* Et sane ne putetis hæc occultam vitam tantum ad Religiosos pertinere, satis ad hoc vobis esse potest, quod S. Hieron. in vita S. Macarii narrat, quod scilicet, cum S. iste vir

desiderium concepisset intelligendi, quousque in sanetitatis et perfectionis studio pervenisset, a Deo jussus sit in civitatem Alexandriam pergere, ibique duas mulieres conjugatas querere, cum illis enim ipsum parum sanctitatis gradum nactum esse. Cum ergo quesivisset illas S. Macarius, easdemque interrogasset, quibus potissimum exercitii vacarent, intellexit, nihil aliud fere eas praestitisse, quam quod in charitate et concordia conviventes communia matrimonii onera cum sincera intentione, atque patientia sustinissent, sique per has virtutes acquassent, quidquid asperitatis per tot annos S. Macarius tolerasset.

## Pars tertia.

In tertio actu *agentem* vobis S. Antonium exhibebo; ubi vel maxime dicere poterat: *Vivo autem jam non ego; sed vivo in me Christus* agens et operans. Nam 1<sup>o</sup> sicut Christus antequam praedicationis officium auspicaretur, in eremum secessit, ita S. Antonius ad eremum montis paulo prius, quam proximi saluti procurandae vacaret, se contulit, ibique totum se meditationibus sacris impendit. 2<sup>o</sup> Sicut Christus quadraginta diebus in eremo jejunavit, ita S. Antonius tam severum sibi in hoc secessu jejunium imperavit ut vix sustentare se posset. 3<sup>o</sup> Sicut Christus cum Daemone certavit, eumque feliciter superavit, ita S. Antonius cum eodem pugnans pene suffocatus est, sed B. Virginis auxilio invocato, et crucis signo facto tandem et ipse de eodem triumphavit. 4<sup>o</sup> Sicut Christus respectu praedicavit, ita ut dicerent: *Nunquam sic locutus est homo*; ita non dissimilem in concionando zelum S. Antonius ostendit. Testatur hoc Pontifex, qui arcanum Testamenti appellavit: testantur haeretici, quorum male dicebatur: testantur Episcopus et Clerus Paduanus, qui ipsum avidissime audiebant: testatur plebs de media nocte surgens, ut ipsum audiret: testantur triginta millia Auditorum cum tanto silentio audientium, ut ne unus quidem reperiretur, qui minimum strepitum ederet: testantur mercatores, qui ultra tabernaculis diebus clausas retinebant, quibus ipse concionari solebat. 5<sup>o</sup> Sicut Christus miraculis doctrinam suam confirmabat; ita etiam S. Antonius, nam omnium linguas loquebatur: aegros curabat innumeros: in

pluribus locis conspectus est eodem tempore: complures mortuos resuscitavit: et, ut verbo cum Auctore vite absolvam, adeo Dominus mirificavit Sanctum suum, ut non solum usitatis quotidie coruscaret miraculis, sed etiam inaudita ab eo signa ederentur.

Sed quid nos ex hoc tertio actu, ab agente scilicet Antonio dicere debemus. Illud nimirum, quod Ecclesiasticus c. xxxiii. suasisit: *In omnibus operibus tuis excellens esto*. Cum enim nobis perinde ac S. Antonio dictum sita S. Paulo I. Cor. x. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid feceritis, omnia in gloriam Dei facite*. Hoc autem gloria pluri faciendum sit, quam salus totius mundi, annon acquissimum putamus, ut pro tam sublimi fine consequendo omnem in actionibus nostris industriam conatumque adhibeamus? Si olim S. David I. Par. c. ult. dicere ausus est: *Totis viribus preparari impensas domus Domini, non enim homini preparatur habitatio, sed Deo*: annon idem nos de nostris actionibus dicemus, atque adeo omnes vires nostras contendemus, eo quod non hominis beneplacito preparatur haec actio, sed Deo? Id profecto memorabili exemplo Joannes Godoius ex Societate Jesu non docuit, qui, cum ollas singulari cum diligentia lavaret, aliusque diceret, non esse opus tanta accurate, eo quod mox iterum per quotidianum usum sordide redderentur, pulchre respondit: « Noveris, mi Frater, me quotidie mea opera Dei et B. Virginis Matris meae amantissima honori consecrare; indecorum proinde censeo, ut aliquod opus non undequaque politum et perfectum ipsis offeram. » O. si et nos similem intentionem nostris actionibus praestiteremus, profecto non solum similem industriam adhiberemus, sed similem etiam in universis operibus nostris benedictionem experiremur, sique impletum illud Christi promissum JOAN. xv. cerneremus: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum*.

## Pars quarta.

In quarto actu exhibeo *patientem* Antonium. Ubi possem equidem magnum catalogum texere, eorum, quae passus est sanctissimus vir iste, et propter quae jure iterum dicere poterat: *Viro jam non ego, vivi vero in me Christus* patiens. Sed quia patientia vestra abuti non debeo, unicuique desiderium mar-

tyrii commemorasse sufficiat, quod adeo magnum erat, ut propter illud ordinem Sancti Francisci ingressus sit. Ex quo proinde facile tanquam ex ungue leoninum Antonii animam colligere licebit, cum enim ex divina dispositione occasio martyrii subeundi ablata ei sit, non dubitandum profecto est, quin ipse per continuam sui abnegationem, vexationemque martyrii horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius sibi ipsi inferre sit conatus. Ad quam proinde patientiam illius emulandam, unicam vobis, eamque solatio plenissimam sententiam ex S. Jacobi epistola c. i. de promptam offero: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in variis tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet*. Cujus sententiae efficaciam, ut melius penetretis, considerate, quaeso, Auditores, cur S. Antonius tantopere martyrii desideravit? Annon fuit homo, et quidem sensibilis, fragilis perinde ac nos? Fuit profecto, fuit perinde ac nos fragilis et sensibilis. Quomodo ergo nihilominus tam ardentem desideravit crucis et tribulationes, a quibus nos tantopere abhorremus? Nimirum non tantum corticem exteriorem, sed latentem intus nucleum et dulcedinem promissi praemii ponderavit. Revocavit sibi in memoriam, quod S. Paulus II. ad Cor. iv. dixerat: *Id quod leve, et momentaneum est: tribulationis nostrae, aeternum gloriae pondus operatur in nobis*. En, pondus ait, non quameumque medicam quantitatem; pondus nimirum gloriae, pondus gratiae apud Deum, pondus consolationis, pondus honoris, pondus edificationis quae, quae, si ita crucem aspiceret, crucem horreret, et non potius amiceissime quaereret, et complecteretur? Certe beata Angela de Fulgino ausa est dicere, quod si pretium et valorem tribulationum cognosceremus, unus alteri crucem suam erepturus esset: *Vere enim non sunt condigne passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*, Rom. viii.

## Pars quinta.

In quinto actu S. Antonium *ad caelos ascendentem* et honoratum vobis sisto; ubi tamen nihil dicam de honoribus ante mortem acceptis: nihil etiam de illis, quos undique nunc accipit, quamquam et hi non leve argumentum praebent sanctitatis, et fame

per eam comparate. Illos solum honores commemorabo, qui statim post mortem illi exhibiti sunt, hi enim vel maxime ostendunt, non viventem dumtaxat, et passum, sed morientem etiam et honoratum Christum fuisse ab eo representatum, ita ut de ipso quoque non sine admiratione homines exclamare coacti sint: *Vere filius Dei* (adophilus) *erat iste*. Ut ergo honores obiter tantum percurram. 1<sup>o</sup> Pueri nemine sciente ejus mortem promulgaverant clamantes: mortuus est S. Antonius. 2<sup>o</sup> Mulieres pauperes non aliter eum ac parentem suum deplorabant. 3<sup>o</sup> Civis armati vigilabant pro corpore, mortemque prius obire, quam descendere ab eodem decernebant. 4<sup>o</sup> Episcopus cum Clero, Religiosi cum sociis, professores cum discipulis seorsim accurrebant ad Sacramentis viri tanti reliquias singulari cultu venerandas. 5<sup>o</sup> Peregrini varii ex Gallia, Hispania, Germania, et Hungaria illius Sanctitatis fama excitati accelerabant, ut, quem viventem videre, colereque non poterant, saltem post mortem in cadavere honorarent. 6<sup>o</sup> Deus ipse luculentos honores illi exhibuit, dum omne genus morborum ad solum reliquiarum ejus contactum sustulit, et curavit. 7<sup>o</sup> Sed quod merito praecipuum, et vix ulli Sancto a sede Apostolica concessum genus honoris est, usque adeo fama et merita Sanctitatis ejus invaluerant, ut Gregorius nonus anno nondum integro elapso eum in Sanctorum numerum retulerit, publicoque honore honorari concesserit, quo ipso die Ulysipone civis nescii prorsus hujus decreti inopinato gaudio se repleti senserunt, et campanae proprio motu sonare coeperunt. Ammon verificalum est in hoc Sancto illud S. Davidis Ps. lxxvii. effatum: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum*. Ex hoc igitur nunc actu unicam iterum doctrinam eruo, vobisque chori loco ex S. Bernardo occino: « Sola virtus Mater gloriae est; sola enim est, cui gloria debetur, et jure impenditur. Quae autem sine virtute est gloria, profecto indebite venit, propere affectatur, et periculose captatur. » Ex qua sententia breviter colligi potest, duplicis generis honorem ab hominibus impendi, *alienum*, et *proprium*; ille est, qui non propter propria merita, sed alterius exhibetur, qualis est, si superiore loco Christi, et illustres, nobilesque propter majorum suorum merita honoramus: iste est qui ex propria virtute, et meritis oritur, et

hic proinde proprie honoris nomen meretur, uti jam olim Romani ingeniose per duo templa Virtuti et Honori edificata significarunt, dum tali ea ordine nescierunt, ut nulli ad Honoris templum pateret aditus, qui non prius per Virtutis templum transisset, ut vel sic discerent homines, non aliam ad honores veros, nisi per virtutem semitam esse. Unde qui hoc titulo carent, et tamen propter honores sibi delectos efferuntur, ad nullum illum Atheniensem alegandisunt, qui, cum in supplicatione solemniter pretiose vestitus et statum Isidis Deæ portans efferretur, quod homines ante se in genua prosterni videret, stimulo in latus ab agasone impacto hæc verba audire debuit: *Non tibi sed Isidi honor iste debetur.* Vos ergo, mei Auditores, si honorem et gloriam appetitis, veram quaerite; hæc autem sola et unica est, quæ ex virtute, seu clarus loquendo ex sincero Dei servitio, suisque imperio petitur, nam Deo servire regnare est, et imperare sibi præstantissimum est imperium. Hanc ergo gloriam, hunc honorem quaerite, et tunc cumque pauperes, et viles videamini, omnibus regibus et Imperatoribus excellentiores, et honoratiores eritis.

#### Epilogus.

Sed finienda est comœdia nostra. Vidistis ergo, nunc S. Antonium nascentem, feliciter crescentem, continuo agentem strenue, patientem generose, et magnifice honoratum. Superest, ut nunc ante vos stantem, et illis S. Pauli verbis I. Cor. v. vos alloquentem pariter vobis imaginemini: *Rogatos imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Hoc enim vel maxime necessarium est, si orationibus illius efficaciter adjuvari desideratis; nam ut bene S. Chrysostomus in hom. de SS. Martyribus advertit: «Tunc liberent Sancti Dei Martyres pro nobis intercedunt, quando aliquid in nobis de suis virtutibus recognoscunt.» Meminerimus ergo, et nos spectaculum esse factos Deo, Angelis et hominibus, tum in terra, tum in cœlo viventibus, erigamus proinde oculos ad instructorem nostrum S. Antonium, et pro viribus eum imitari conemur. Quia vero ex nobis id non possumus, ideo opem illius et suffragium implorantes dicamus: «O S. Antoni, gratulamur tibi, quod ad tantam gloriam in cœlo evectus sis, gratias etiam tibi am-

plissimas agimus pro tot tamque præclaris virtutibus ad imitandum relictis; id unum ergo superest, ut etiam ad imitationem illarum procurandam tuis nos suffragiis adjuvare digneris: impetra ergo nobis, o Sanctissime Pater, ut tecum vel hodie spiritualiter nascamur; impetra, ut in virtutis et perfectionis studio quotidie tecum crescamus: impetra, ut tecum fructuose operemur, totamque Dei gloriam in omnibus actionibus nostris sincere quaeramus: impetra ut tecum fortiter patiamur, quicquid vel a Deo, vel ab hominibus patiendum occurrerit; impetra denique ut de virtute in virtutem tecum ascendentes verum honorem quaerere in terris incipiamus, et in cœlis olim feliciter inveniamus. Amen.

#### Alii conceptus.

I. Simili modo posset Sanctus aliquis comparari soli juxta illud MATTH. XIII. *Tunc justi fulgebunt sicut sol.* Et 4<sup>o</sup> ostendi quomodo ut sol per humilitatem nobis quidem parvus visus fuerit, sed in se maximum fuerit juxta illud Th. Kempens. l. c. c. iii. vere magnus est, qui magnam habet charitatem: vere magnus est, qui in se parvus est, et omne culmen honoris pro nihilo ducit. 2<sup>o</sup> Ut sol varios effectus produxerit, luce pellendo tenebras in mentibus peccatorum, aliorumque hominum, præcipue infidelium: et calore producendo flores pulcherrimarum virtutum et frumentum electorum, vinum lætitiæ, etc. 3<sup>o</sup> Ut sol celerissime perfectionis zodiacum percurrerit juxta illud PSAL. XVIII. Exultavit ut gigas ad currendam viam suam, ubi, si placet, breviter duodecim signa ipsius virtuosæ actionibus applicari poterunt, dicique non esse mirum, quod tam velociter ecurrerit, habuisse enim quatuor nobilissimos equos solis equis similes, scilicet quatuor virtutes cardinales, quarum auxilio tantum in perfectionis studio profectum fecerit. Hortare proinde Auditores, ut hodie sint Heliotropia, et ad solem istum per veram devotionem se convertant.

II. Posset tota alicujus Sancti vita, præcipue, si quondam in peccatis vixit, in tres partes velut in breve dramatione dividi. Et in parte prima v. g. Paulus *perversus*. In secunda, *inversus*. In tertia *conversus* representari, et ex quavis parte convenientes doctrinæ erui.

III. Posset ostendi, quod Sanctus talis imaginatus sibi sit, se spectaculum esse factum Deo, Angelis et hominibus, atque adeo sibi quoniam personam representandam raptus tria ad perfectum actorem requisita egregie præstiterit. 1<sup>o</sup> Diligenter inquisierit, quam personam agere debeat, et quid ad illam requiratur, sollicite indagavit. 2<sup>o</sup> Bene personam suam representare studuerit, attendens ad exemplum comici et instructoris sui Christi, non autem ad alios actores. 3<sup>o</sup> Mature incepit, et per hoc singularem apud spectatores suos laudem gratiamque meruerit. 4<sup>o</sup> Feliciter et tempestive absolverit, dum consummatus in brevi explevit tempora multa, et usque in finem perseveravit.

IV. Posset in festivitate Sancti præcipue si sit Patronus specialis vel titularis, convivium spirituale instrui ex triplici genere ferculorum compositum. 1<sup>o</sup> Ex ferculis fictis *Bschanessen*, ubi vel mirabilia facta Sancti, vel certe si prius fuit gravis peccator, ipsius mala vita proponi posset, talia enim admiranda potius sunt, quam imitanda. 2<sup>o</sup> Ex ferculis solidis *Hauptspeissen*, ubi potiores virtutes ad imitationem accommodatè explicari et suaderi possent. 3<sup>o</sup> Ex bellariis, ubi fructus in hac et altera vita a tali Sancto ex virtuosa vita reportari enumerari possent. Sic v. g. posset in Festo S. Magdalene in prima parte Magdalene *peccans*. In secunda *penitens*. In tertia, *gloriosa* exhiberi, et apte ex quavis parte doctrinæ erui.

V. Posset ostendi, quam bene officio *Negotiatoris* sit functus in mundanis hujus vite, ut vocat S. Gregorius Nazianzenus. Et 1<sup>o</sup> diligenter inquisierit, quid in domo sua defuerit per frequentem et serium examen et collectionem usum. 2<sup>o</sup> Semper bonas merces emerit, imo plerumque meliores per perfectionis accuratum studium. 3<sup>o</sup> Mature emerit juxta illud S. Pauli: *Dam tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* 4<sup>o</sup> Vili pretio emerit, non enim sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 5<sup>o</sup> Secure premerit in alteram vitam per humilitatem et legitimam intentionem.

VI. Posset ostendi, quam præclare omnes partes *militis Christiani* expleverit. 1<sup>o</sup> Strictè observando juramentum ab initio susceptæ militiæ factum. *Den Artikel Brief.* 2<sup>o</sup> Patendo exactissime suo Duci, et manendo in sua statione. 3<sup>o</sup> In conflictibus variis fortiter certando; ubi possunt varia certamina

contra luxuriam, superbiam, avaritiam, gulam, etc. explicari. 4<sup>o</sup> Glorioso occumbendo, dum scilicet per constantiam in acie stetit, atque adeo dicere cum S. Paulo Ep. TIM. IV. potuit. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ.*

VII. Posset ostendi, quomodo *duo talenta* a Deo concedita tam fideliter administravit, scilicet intellectum et voluntatem, et alia duo, scilicet perfectam Dei cognitionem, et amorem Dei lucratus sit, ubi explicari possent potiores actus Charitatis Dei exerciti, vel per duo talenta accepta intelligi possent Charitatis Dei et proximi, per duo talenta vero acquisita gratiæ augmentum in hac, et gloriæ augmentum in altera vita.

VIII. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis fuerit *lux mundi*, et juxta ipsius exemplum sic lucere debeat lux nostra coram hominibus. 1<sup>o</sup> Illuminando intellectum. 2<sup>o</sup> Accendendo et calefaciendo voluntatem. 3<sup>o</sup> Purificando conscientiam, et quomodo hic Sanctus hæc omnia tam erga se, quam alios præstiterit.

IX. Posset ostendi, quam perfecte secutus sit consilium Christi. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum; tollat crucem suam; et sequatur me. 1<sup>o</sup> *Abnegando semetipsum* per abstinentiam ab illicitis. 2<sup>o</sup> *Tollendo crucem* per sustinentiam adversariorum. 3<sup>o</sup> *Sequendo Christum* per imitationem perfectam; atque adeo impleverit tria capita ad perfectionem ab Ascetis requisita, ut nimirum quis sciat, *abstinere, sustinere, agere*, quæ proin, in quo consistant, fusius ostendi potest.

X. Posset ostendi, quam fidelis fuerit *dispensator*, tribuendo de bonis Domini sui, id est, de tempore sibi concesso, partem Deo, partem proximo, partem sibi per actiones ad aliquod horum commodum vel honorem ordinatas, exemplum SS. Joachim et Anne, qui sua bona in tres partes simili modo distribuerunt: vel possunt per bona Domini intelligi bona opera, et ostendi, quomodo unam partem, scilicet fructum laudis et gloriæ Deo: aliam partem scilicet meritiorum sibi; et aliam, scilicet satisfactorum et impetratorum fructum proximo, nempe viventibus atque defunctis assignavit.

XI. Posset ostendi, quam fideliter *servi vigilantis* officium impleverit, repertusque sit vigilans in vigilia prima id est, via purgativa abstinendo a vitis, et passionibus repri-

mendo per varias corporis et animi mortificationes. 2<sup>o</sup> In secunda vigilia, id est, via illuminativa exercendo se in variis virtutibus. 3<sup>o</sup> In tertia vigilia, id est, via unitiva per singularem familiaritatem cum Deo in exercitiis spiritualibus, et conformitatem voluntatis suae cum divina.

XII. Posset ostendi, quomodo fuerit vir secundum cor Dei, qui fecit omnes voluntates ejus, vocationem suam diligenter inquirendo, fideliter exequendo, et constanter in ea perseverando, vel quod semper fecerit, *que Deus voluit, quomodo voluit, et quia voluit*. Ideoque vicissim a Deo tres gratias obtinerit a S. Davide Ps. LXXXVIII. indicatas: *Oleo Sancto meo unxi eum* (id est oleo letitiae pre consortibus) *manus mea auxiliabitur ei* (hinc felix successus omnium actionum et laborum) *et brachium meum confortabit eum* hinc plena et tranquilla securitas animi.)

#### Exemplar tertium.

Quomodo de una virtute alicujus Sancti concio institui possit?

#### PRO FESTO SANCTI IGNATHI FUNDATORIS SOCIETATIS JESU.

##### Thema.

Sint lumbi vestri praeincti. LUC. XII.

##### Scopus.

Ostendendum, quam fortiter S. Ignatius Ecclesiam defenderit, et quantopere quivis Christianus ob hanc causam illi obstrictus sit.

##### Syllogismus principalis.

Tunc merito quivis Christianus plurimum obligatus est ad S. Ignatium colendum, quando ille fortissime Ecclesiam, et cum illa etiam nos contra Lutherum defendit; at qui hoc fecit; ergo merito quivis Christianus plurimum obligatus dicitur ad illum colendum.

#### EXORDIUM

Quaestio non tam curiosa, quam jucunda et salutaris est, an S. Ignatius fundator societatis Jesu, cujus festum hodie celebramus, magis officium militis praestiterit ante, quam post suam conversionem? Ad quam quaestionem etsi plerique judicaturi sint, haud dubie ante conversionem eum praestantius officio militis functum, eo quod de hac functione praclarum in defendenda arce Pompelonsi specimen ediderit; nihil autem simile post conversionem ipsum praestitisse sciatur; ego tamen contrariam sententiam amplector, judicoque; nunquam praestantius officio militis gessisse S. Ignatium, quam postquam relicta profana militia spirituali auspiciatus est; et hoc in presenti concione fusius nunc ostendam, ut, dum cognoveritis, quam praclare Ecclesiam, et cum hac etiam vos defenderit, eadem opera intelligatis, quantopere eidem obstricti sitis, atque adeo omnem in debito hoc vestro exolvendo conatum adhibeatis.

#### Propositio.

Dum Ecclesiam nostram Catholicam considero, recte illa arci seu civitati munita comparari posse videtur. Nam 1<sup>o</sup> est illa bene munita triplici muro virtutum Theologicarum et quatuor portis cardinalium virtutum. 2<sup>o</sup> Est populosa (*wohl besetzt*) et cum bono ordine dispositos Inquilinos habet; in ea enim reperitur Christi Vicarius, ejus Consiliarii Cardinales; Duces Episcopi, officiales Clerici et religiosi, et reliquus populus Christianus militum officio fungens, omnes pulcherrimo ordine sibi invicem subordinati. 3<sup>o</sup> Bene instructa armis et comente; nam ipsa est, de qua CANT. IV. dicitur, *quod sit Turris edificata cum praepugnaculis; et quod mille clypei pendeant ex ea, et omnis armatura fortium*. In ea panis pretiosus Angelorum, aqua non deficiens gratiae per septem canales Sacramentorum, per puteos variorum exercitiorum spiritualium derivata, reperitur. 4<sup>o</sup> Denique super tam firmam petram, ipso Christo teste, est aedificata, ut porte inferni non possint prevalere adversus eam. Quibus tamen non obstantibus multi quidem Haeretici, sed praecipue nostris temporibus Lutherus cum suis asecclis

ausus est hanc munitissimam civitatem aggredi et oppugnare. Sed illi Deus Duceum fortissimum Ignatium opposuit, qui usque adeo omnes ejus conatus elusit, ut, ubi primum Ignatium cum suis Sociis vidit, mox animum abjecerit, et multum confusus abierit, ut facile patebit, si ex una parte Lutheri conatus, ex altera vero oppositas S. Ignatii machinationes intellexerimus.

#### Pars prima.

Primo itaque Lutherus ipsos muros invasit, dum primum murum fidei Catholicae per rejectas traditiones, auctoritatem Pontificis, indulgentias, vota religiosorum dejicere conatus est: spem vero tollendo cultum B. Virginis, et aliorum sanctorum, operumque propriorum valorem et necessitatem debilitare studuit; et charitatem denique, dum observationem mandatorum impossibilem, nostraque opera nihil nisi peccata esse, consilia Evangelica vero, per quae vel amor erga Deum probatur, supervacanea dicere ausus est, penitus evertere laboravit. Sed his omnibus conatibus fortissime se Ignatius opposuit, quos enim nescit, quanto cum conatu inviolatam fidem avitam conservare studuerit? Quam salutare regulas conscripserit, per quas recte sentire cum Ecclesia discamus? Quam acriter se cum sociis per publicas disputationes eorum doctrinis opposuerit? Quam solide feliciterque haereses eorum per libros et privata scripta sparsas refutarit? Quam multos ex ipsis oppugnantibus expugnavit, et in ipsam Catholicam Ecclesiam pertraxerit? Non dissimili vere modo alterum quoque murum, scilicet spem defendit; quis enim non vel legit, vel propriis oculis vidit, quam egregie is cultum B. Virginis et sanctorum promovit? Quantopere laboravit, ut homines ad frequentanda Eucharistiae et Praesentiae Sacramenta induceret? Quam sollicite procuravit, ut in variis operum bonorum generibus se studiose exerceret? Quoties illud S. Jacobi saluberrimum monitum inculcarit: *Quid prodest, fratres mei, si fidem dicat quis se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum?*

Sed praeter reliquis murum charitatis divinae fortissime propugnavit, id quod ipse Deus quondam B. Magdalenae de Pazzi revelavit, ut Lancizius in i. op. c. refert, dum illa vidit, Deum in throno majestatis sedentem, tanto-

pere sibi complacere in anima S. Joannis Evangelistae, ac si praeter ipsum nullos alios Sanctos in caelo haberet; postea vero vidit, simili modo Deum in anima S. Ignatii delectari, quocirca clara voce dicebat: Spiritus Joannis et Ignatii est idem, quia totus est amare, et conducere ad amandum Deum. Hinc ad indicandum hunc amorem S. Ignatii non male pictor quidam ipsum flammam ex toto corpore projicientem, sicut de caelo advolantem pinxit cum hac suscriptione: *Ignem veni mittere in terram: et quid volo, nisi ut accendatur?* Hinc et ipse dicere solebat sociis suis: *Ite, et omnia accendite*. Imo hac ipsa etiam de causa haud dubie ex inspiratione divina adhuc infans nomen ipse suum elegit dicens: Ignatius est nomen meum. Quia Ignatius si unicum litteram a demas idem significat ac *ignitus*, vel *tu ignis*. Quis ergo non praclare S. Ignatium in hoc primo officio defensionis, militem egisse fateatur?

#### Pars secunda.

I. Postquam Lutherus advertit, frustraneum esse conatum suum in muris dejicientis, ad ipsas portas effringendas se convertit. Hinc 1<sup>o</sup> prudentiae portam laebefactae conatus est, dum omnium rerum ordinem turbavit, et summa imprudentia media pro fine eligi, atque hominem pro sua libertate sine sollicitudine speciali de operibus bonis et meritis vivere fecit. Sed S. Ignatius omnia contraria egit, nec quidquam magis laboravit, quam ut homines secundum rectas prudentiae leges ultimum suum finem praeculis semper haberent, et super eo recte constituto et proposito totam suam vitam fundarent, ut in libello exercitiorum videre est.

II. Lutherus *Justitiae* portam laebefactae conatus est, dum Deo et Sanctis debitum cultum negari, Pontifici, aliisque similibus superioribus obedientiam subtrahi, concordiam per matrimonii divortia etiam quoad vinculum tolli, pacem in republica turbare fecit. Sed nihil hoc terrore S. Ignatium, quin potius se totis viribus ad conatus hos retundendos convertit; hinc suam societatem per peculiare votum obedientiae in quocumque casu praestanda obstrinxit: hinc tot Congregationes instituit, et per eas cultum B. Virginis et Sanctorum introduxit: hinc tantum laborem adhibuit, ut a filiis debita reverentia parentibus, a subditis obe-

dientia superioribus, a conjugibus fidelitas, ab omnibus vero mutua charitas invicem exhiberetur. Nec minus studuit etiam *temperantiae et fortitudinis portas* conservare. Quassavit quidem illas Lutherus, dum intemperantiam in cibo potuque verbo et exemplo passim suavit: dum superbum caput supra omnes erexit, atque ut se ob contemptum, quem ex negata Indulgentiarum promulgatione sibi obvenisse putabat, vindicaret, ab Ecclesia defecit: dum omnia prope motiva ad suscipiendam, portandamque crucem elusit, et explosit: sed irrito conatu, nam fortiter opposuit se Ignatius, dum et ipse insiguit exemplo abstinentiam docuit, et saluberrimas pro victu temperando regulas composuit: dum non ipse dumtaxat omnes honores studiosè declinavit, sed ut sui etiam ad eosdem non acceptandos voto se obstringerent, in constitutionibus suis imperavit: dum tantum desiderium patienti semper præ se tulit, ut dicere ausus sit, non esse tot pedicæ et vincula in civitate Salmanticensi, ut non plures optaret, hancque expeditissimam ad perfectionem viam esse affirmaret, si quis multa propter Deum innocenter pati posset.

#### Pars tertia.

Videns itaque Lutherus neque portas se infringere posse *ignibus injectis* expugnare urbem nostram statuit, quos tanto audacius injectit, quanto plures victorias se hoc medio obtinuisse meminerat: hinc omnem libidinem passim permittere, uxorem æque ac panem necessarium esse dicere, omnem virginitatem eliminare, monasteria velut pestiferas domos detestari, et, quidquid castitatis studium promovere poterat, penitus arcere studuit; sed novit scilicet artem his ignibus occurrendi Ignatius: novit ejusmodi ignes bovina pelle, id est, indefesso labore, quo otium proscribitur, supprimendos; novit aquam gratiæ celestis, sine qua continens esse nemo potest, copiose affundendam: novit fuga celeri tales ignes dexterrè declinare, hinc omnes ad laborum amorem, otii et occasionum fugam, orationum aliorumque exercitiorum spiritualium frequentem usum tam sollicitè excitavit, a suis vero tam perfectam castitatem requisivit, ut vel ipsis etiam per illam assimilari Angelis possent.

#### Pars quarta.

Itaque et hic nihil proficiens Lutherus, Holofernis tentavit consilium; atque adeo *canales atque fontes*, id est, Sacramentum et Missæ sacrificium, per que tam copiosam gratiæ celestis aquam in Ecclesiam derivari noverat, removere conatus est; sed nusquam fortius se opposuit Ignatius noster; hinc publice et privatim frequentem usum Sacramentorum commendare: hinc tot confessionalia passim in suis templis edificare: hinc ordinare, ut perpetua quodammodo sacrificia in iisdem templis suis offerrentur: hinc tam sollicitè Sacerdotes instruere, et quidquid ad saluberrimos hos fontes conservandos conducere videbatur, studiosissime implere conabatur, non ignarus videlicet, ab his fontibus totam prope Ecclesiæ Catholice incolumitatem pendere.

#### Pars quinta.

Tandem ergo, quod unicum supresse videbatur, *proditiōnis remedium* arripuit Lutherus, noverat scilicet, quod jam olim Philippus rex Macedonum dixisset, nullam sibi videri arcem inexpugnabilem, in quam asino auro onusto aditus pateret. Hinc et ipse in Ecclesiam asinum auro, id est, aureis promissionibus et aurea libertate onustum præmittere conatus est; hinc tot Episcopatus, ditissima monasteria, pingues parochias, thesauros Ecclesiæ ostendit, et Diabolum, qui Christum olim tentarat, imitatus dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens ad-raceris me: et Ecclesiam mihi tradideris*; et recte sane dixit, *si cadens*, etc. vere enim, qui ei paruerunt, ceciderunt gravissime de libertate filiorum Dei in servitutem Diaboli: de dignitate Christiani in infamiam Hæretici: de gratia in peccatum, de cælo in infernum: ita ut de illis vere suo modo dici posset illud *ISAIAE, c. i. Quomodo cecidisti de calo Lucifer, qui mane oriebaris*, etc. Sed nimirum S. Ignatius egregie proditiōnem istam deprehendit, et detexit, dum tam præclaras regulas de discernendis spiritibus præscripsit: dum exercitia spiritualia et modum meditandi introduxit, usurpans suo modo illud Christi: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus*, detegamque fraudes Diaboli; ille ad omnes cum S. Augustino verbo et exemplo clamavit: *Si queris, quære; sed non, ubi*

*queris; quære in fonte, quia ibi vivunt, quod factum est in ipso vita erat.* Ille dicebat omnibus cum S. Augustino: « Ecce viam vitæ, a multis ad unum: ecce viam mortis ab uno ad multa. Si adhaerebis superiori, conculcabis inferiora. Si recedis a superiore, ista tibi in supplicium vertentur. » O igitur vere insignem Ducem! o fortissimum Athletam! o generosum Ecclesiæ defensorem!

#### Pars sexta.

Quid ergo nobis faciendum modo est, AA. Equidem tria existimo facienda.

I. Audiendum consilium ECCLESIASTICI c. XLIV. dicentis: *Laudemus viros gloriosos in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua sæculo.* Et quidni laudemus fortissimum Ignatium nostrum? Si enim illos, qui arcem aliquam vel urbem, a qua unius tantum provincie salus pendet, fortiter defenderunt, tantopere laudamus; quanta laude dignum censebimus illum, qui Ecclesiam, a qua omnium Christianorum salus dependet, tam feliciter conservavit? Si illos, qui thesauros materiales servarunt, aut ab hoste et morte corporali nos defenderunt, summis laudibus exollimus, quid non illi præstabimus, qui spirituales thesauros milies præstantiores, vitamque anime contra tartareos hostes defendit? Annon ergo dicemus cum populo Hebræorum *JUDITH, c. xv. Tu gloria Ecclesiæ, tu latitia Israël, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, ideo eris benedictus in æternum, et dixit populus: fiat, fiat.*

II. Gratiæ eidem S. Ignatio amplissimæ agendæ; si enim olim Romani tantum sibi beneficium exhibitum putarunt per urbis conservationem, ut specialem coronam, civicam scilicet, militaris virtutis insigne clarissimum decreverint, eo quod cum Scipione judicarent, pluris esse faciendum, si unus civis servaretur, quam si mille hostes perderentur; quid non S. Ignatio debebimus, qui tot civis Ecclesiæ, imo cæli servavit? Quid autem melius ipsi, quam coronam auream decernemus? Vultis scire, quemnam sit corona ista? Vos, vos ipsi, si aurea charitate præditi fueritis, si studueritis ad illius exemplum omnia opera vestra ad majorem Dei gloriam dirigere, vos eritis corona ista. Vos hodie alloquitur S. Ignatius illis S. Pauli ver-

TOMUS V.

his ad Philipp. c. IV. *Itaque fratres mei, charissimi, et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea, sic state in Domino, charissimi.* Non peto, ut statum mutetis; non peto, ut bona vestra temporalia relinquatis, et pauperibus distribuatis. Sic state, charissimi, sicut Deus vos constituit, dum vobis os sublime dedit, celumque tueri jussit, et erectos ad sidera tollere vultus. Sic state, ut, dum utimini hoc mundo, juxta S. Pauli consilium, sitis quasi non utentes: sic state, ut, quales habeatis impetus ad mundum, tales deinceps habeatis ad Opificem mundi, sicut S. Augustinus monuit. Sic state, ut impleatis mecum consilium a S. Bonaventura datum, dum dixit: « Ama, et ama totus; ama, et ama semper; ama, et ama fideliter; hæc est regula amandi, amare ut Deus, exultare ut Deus, vivere ut Deus, absorbeatur humanum in divino, abscedat vanitas, accedat divinitas, et totus fiam divinus. » Sic denique state, ut, quoniam est militia vita hominis super terram, sic arcem anime vestræ defendatis sicut me vidistis Ecclesiam defendisse; tunc eritis vere gaudium, vere corona mea, verificabiturque de vobis illud *Ps. IV. Posuisti in capite illius coronam de lapide pretioso.*

III. Superest, ut, quandoquidem tam præclare eum officio Ducis in Ecclesia implevisse cognovimus, etiam nostrarum animarum arcem eidem protegendam committamus, si enim in hæc etiamnum vita existens tantopere eorum, quorum curam suscepit, animas defendit, quid faciet in altera. Si ergo et tu advertis, aut muros tuos quassari; aut portas oppugnari; aut ignem injectum; aut cuniculos actos; aut ad proditiōnem te sollicitatum; aut canales gratiæ divini tibi subtrahi, fontesque obstrui, advoca S. Ignatium, illiusque fidei te committe; enst in finem dictum tibi pata de illo, quod Sanct. Bernardus de S. Angelo Custode dixit: Quid sub tanto custode timeamus? Fidelis est, prudens est, potens est. Tantum sequamur eum: tantum adhaereamus ei, et in protectione Dei cæli commorabimur.

#### Epilogus.

Atque hæc sunt, que S. Ignatio in signum gratitudinis nostræ præstanda censeo; agite proin, AA. et mecum ad emendam Sanctum vos convertite, ac dicite: « O gloriosissime

Dux et Athleta Christi, o potentissime defensor Ecclesie, agnoscimus tuam fortitudinem, et totis viribus laudamus, ac gratias pro ea debitas agimus, et ampliores agere desideramus; quia vero majores agere non possumus, quam si coronam tantopere a te exoptatam capiti tuo imponamus, eoce paratos nos ad tua sanctissima exempla imitanda. Tecum hodie vocantem Deum audiemus; tecum finem ultimum nobis ob oculos ponemus: tecum omnia terrena spernemus, et nonnisi, quatenus ut media ad finem nostrum conducant, usurpabimus: tecum contra hostes omnes arcem Ecclesie, et anime nostrae fortiter defendemus; tu modo duc nos sanctissimo exemplo tuo, tu adjuva patrocinio tuo: tu presidio tuo defende, ut, qui te ducem habuimus in terris, etiam ad caelos duceam experiri mereamur, proque nostris simul, et tuis beneficiis aeternas divinae Majestati laudes tecum cantemus. Amen. »

#### Alii conceptus.

I. Simili modo possunt aliae virtutes Sanctorum pro concione explicari v. g. posset ostendi, quomodo idem S. Ignatius, aut alius Sanctus fuerit ignis, propter eximiam charitatem, qua Deum proximumque dilexit, adeoque dici posset, quod ut ignis inter agendum semper sursum ascenderit per intentionem et pia suspiria. 2º Quod dum alios calefaciebat, nihil interea perdidit de suo calore, ut ignis. 3º Quod in aequali peripheria, id est, dispositione positos aequaliter calefecerit, sine respectu ad personas; magis vero eos, qui propinquiores erant, uti pauperes, juventutem, peccatores, infideles. 4º Quod valde suavem et efficacem modum habuerit alios in se convertendi, sibi que assimilandi, scilicet per calorem charitatis, uti ipse Deus B. Magdalene de Pazzi ostendit. 5º Quod non cessarit ab agendo, donec materia deficeret, dicereque posset cum DAVIDE Ps. cxviii. *Tabescere me fecit zelus meus.*

II. Posset ostendi, quomodo secutus sit Sanctus consilium Christi: *Esote prudentes, sicut serpentes*, atque adeo impleverit omnes prudentiae partes. 1º Sagaciter consultando de statu vite et aliis ad eum pertinentibus juxta monitum ECCLESIASTICI c. xxxi. *Fili mi, sine consilio nihil facias, et post factum non penitebit.* 2º Sapienter eligendo, quae ad finem propositum erant magis conducibilia,

ubi potiores ejus virtutes proponi et laudari possunt. 3º Celeriter exequendo, quae elegerat, ita ut vere dicere potuerit: bonum certamen certavi, cursum consummavi.

III. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis in curru igneo charitatis, ut olim Elias fuerit raptus in caelum, idque per praecipuos actus charitatis Dei et proximi, probari posset juxta illud Apostoli I. Cor. xiii. *Charitas patiens est*, etc. atque adeo orandum cum Eliseo: *Obsecro Domine, ut fiat in me Spiritus duplex tuus.*

IV. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis velut novus Atlas Ecclesiam verbo et exemplo velut duobus humeris sustentarit, atque Auditores ad gratiarum actionem et imitationem excitarit.

V. Posset ostendi, quomodo Sanctus aliquis utpote mire devotus B. Virgini per viam lacteam in caelos ascenderit, ubi in prima parte B. Virgo via lactee comparari; in secunda potiores actus Mariani amoris ab eo eliciti explicari possent.

VI. Posset ostendi, quomodo talis ex mortificationis studio velut leo ex ungue cognosci possit juxta illud Thomae Kempensis l. I. c. xxv. *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.*

VII. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus fuerit heliotropium, convertens se semper ad solem aeternae sapientiae per perfectam voluntatis suae cum Divina conformationem, uti exemplum S. Jobi et comparatio eum eodem non parum ad amplificationem servire potest.

VIII. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis fuerit candidus, et rubicundus per vite innocentiam, et patientiam generosam in tribulationibus, ubi exemplum Christi passi non parum promovebit amplificationem, uti et tres comites illius, ut vocabat P. Balthasar Alvarez, scilicet indigentia, dolor, contemptus.

IX. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus dixerit cum Apostolo: absit mihi gloriari, etc. ubi dignitas, divitiae, robur et pulchritudo corporis, ac scientiae, quibus plerumque homines gloriari solent, exponi, simulque probari posset, quomodo haec omnia longe copiosius in cruce inveniantur.

X. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus ascenderit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatis myrrhae et thuris, et universi pulveris pigmentarii. Ubi donum orandi a Deo concessum explicari posset.

XI. Posset ostendi, quomodo talis Sanctus recte noverit vivere, quia recte noverit orare. Ubi in prima parte probari posset veritas axiomatis. In secunda, quomodo Sanctus recte oraverit.

XII. Posset ostendi, quomodo Sanctus talis per viam arctam humilitatis ad caelos ascenderit juxta illud Christi MATTH. vii. *Arcta via est, quae ducit ad vitam; et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Ubi in prima parte pulchre comparari potest humilitas arctae viae, et ostendi, quam pauci hanc viam inveniunt: in secunda vero humilitas Sancti per varios actus demonstrari. Potest etiam servare visio, qua S. Benedictus post mortem visus est via florida insistere, simulque haec vox audita: « Hec est via, qua dilectus Deo benedictus ad caelum ascendit. »

XIII. Posset ostendi, quomodo Deus Sanctum talem honorarit, scilicet ad mortem, quo olim Rex Assuerus Mardocheum honoravit. Nam 1º *induit eum vestibus regis*, seu stola gloriae immortalis, quae plus eum exornat, quam ullum hominem vestes quantumcumque pretiosae ornarint. 2º *Super equum Regis imposuit*: quatenus per gratiam Dei (de qua Thomas Kemp. l. II. c. ix. § 4. dixit: *Suaviter equitat, quem gratia Dei portat*) ita roboravit, ut ab omni peccato et perturbatione liber suavissime in Deo requiescat. 3º *Coronavit eum diademate*: juxta illud S. Davidis testimonium PSAL. viii. v. 6. *Gloria et honore coronasti eum Domine: et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Et iterum: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* 4º *Per ministros suos primarius eum deduci in caelos jussit*, scilicet per Angelos, sicut olim Lazarus eodem est deportatus. Ut adeo nihil supersit, quam ut ipsi quoque Auditores eum honorent, et genua flectant, id est, varia submissionis, fidei, reverentiae, et laudis obsequia exhibeant.

#### CAPUT IV.

Quomodo conciones in Dedicatione Templi institui debeant.

Cum plerumque ad Dedicationem Templi copiosior Auditorum numerus accurrat, expedit, ut Concionator raram etiam et selectam materiam eligat. Quia vero ob frequentiam ejusmodi concionum aliqui difficultatem

non levem patiuntur in novis semper conceptibus inveniendis, ideo placuit hoc capite specialiter de hac materia agere, et praeter formulam concionis tali die habendae, plures conceptus suggerere ad similes conciones institutas. Quia vero duplici modo ejusmodi conciones institui possunt, scilicet ut vel directe de ipsa Dedicatione Templi, et modo conversandi in illo sermo habeatur; vel ut ex ipso Evangelio, aut Festo occasio sumatur, aliam quampiam salutarem doctrinam inculcandi, ideo duplex quoque exemplar similibus concionum hoc capite afferetur.

#### Exemplar primum.

Quomodo directe de Dedicatione Templi concio habenda sit.

#### Thema.

Zachae, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. LUC. xix.

#### Scopus.

Ostendendum, quomodo quisvis Christianus Dedicationem spiritualem instituire debeat.

#### Syllogismus principalis.

Templum spirituale merito pluris aestimandum est, quam materiale; ergo dedicatio quoque spiritualis illius multo majori fervore et alacritate peragenda est, quam materialis Templi; atque Dedicatio materialis Templi hodie cum magna solemnitate peragitur; ergo multo magis spiritualem Dedicationem simili cum solemnitate, ac fervore celebrare convenit.

#### EXORDIUM.

Quaestio est, non tam curiosa, quam utilis, cur tot Dedicationes Templorum instituantur ab Ecclesia: ad quam quaestionem non meis, sed S. Augustini verbis in Sermon. cccii. de Tempore respondeo, ubi sic loquitur: « Quotiescumque, Fratres charissimi, altaris vel Templi festivitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, et sancte ac juste vi-

vimus, quidquid in Templis manufactis agitur, totum in nobis spirituali edificatione completur; non enim mentitus est ille, qui dixit: Templum Dei Sanctum est, quod estis vos. Ita Sanctus Doctor, et recte quidem ac sapienter; quod enim prodest, si pavimentum Templi exterioris purgatum sit, parietes et altaria ornata, lumina et lampades accense; intus vero in spirituali Templo, cuius ornatum Deus vel maxime desiderat, omnia sordibus peccatorum plena sint, nulla virtutum ornamenta, nulla fidei, aut charitatis lumina, lampadesque accense apparent? Annon talibus illa Christi **MATT. XXIII.** increpatio repetetur: *Vae vobis Pharisei, quia mundatis, quod deforis est, intus autem pleni estis immunditia. Pharisee cece, munda prius, quod intus est, ut fiat id, quod deforis est, mundum.* Ne ergo hæc increpatio in vobis quoque locum habeat, sed potius tam salutaris S. Augustini consilio pareatis, presentis concione paulo fusiis, quomodo hæc spiritualis animæ dedicatio instituenda sit, ostendam. Attendite et favete.

#### Propositio.

Triplem Dedicacionem Templorum invenio ab Ecclesia usurpatam. Prima est, qua Templum aliquod primo consecratur, et divinis usibus, officisque dedicatur. Altera est, qua annua primæ consecrationis memoria recollitur. Tertia tandem est, qua, si Templum aliquod culpabili, gravique sanguinis, vel seminis humani effusione pollutum et reseratum est, per reconciliationem seu novam benedictionem reconciliatur, et de novo quodammodo dedicatur. Omnes hæc tres dedicaciones a nobis quoque peragendæ sunt, si quidem debitam Templi nostri spiritualis curam gerere, dignamque Deo in nobis habitationem consiliare velimus.

#### Pars prima confirmationis.

Et 1<sup>o</sup> quidem aio, Dedicacionem primam Templi nostri spiritualis, id est, cordis nostri animæque peragendam. Consistit autem hæc dedicatio in eo, ut locus, qui prius profanis usibus serviebat, nunc soli divino cultui serviat. Scitis enim non raro contingere, ut, dum area pro Templo edificando paratur, ea ipsa, cui hospitium, officina aut aliud simile

edificium inexistit, eligatur, sique necessarium sit, ut priora edificia prius destruantur, ut novo Templi edificio locum cedant. Idem ergo in spirituali dedicacione observandum est; erit enim forte et inter vos non nemo, qui, si aream divino Templo destinatam, id est, animam suam considerare velit, hospitium illi inædificatum reperiet, quia advertet, nihil in eo nisi de conciviis et comotationibus cogitari: alius ergasterium aut tabernam meritoriam in ea exstructam inveniet, quia nihil in ea, nisi de lucris temporalibus, sive juste, sive injuste multiplicandis tractari intelligit: alius, quod dolendum et erubescendum maxime, omnino turpissimum lupanar eidem suæ areæ, animæque non sine summa Supremi Numinis injuria inædificatum deprehendit, quia nihil in ea, nisi de fodis amoribus, et carnalibus voluptatibus die, nocteque cogitari avertet. Hi ergo omnes, alique similes peccatores vel hodie iterum sibi a Christo dici existiment: Zachæe, descende: quia hodie me (non Bacchum, non Mammonam, non Venerem) in domo tua oportet manere. Præbe, fili, cor tuum mihi, et ego illud a sordibus peccatorum purgabo, ego gratia mea et virtutibus exornabo, ego divinis exercitiis deputabo, ego, ut uno verbo exprimam, dignum Deo habitaculum efficiam. Et quis tam amice invitationi non libenter respondeat, pareatque? Quis non ex Anima sua Templum et Habitaculum Dei, potius, quam Demonis, aut Veneris, Bacchieque receptaculum fieri preceptet? Age ergo, quisquis es, o peccator: vel hoc momento maleum contritionis assume, vel nunc detestare, et destrue antiqua Veneris, Bacchie, aut Mammonæ edificium, accede ad Christum, et dic cum Davide: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: tibi soli hæcenus peccavi, et malum coram te feci: tibi soli deinceps serviam, et bonum coram te agam. Sic profecto Zachæus hodie exemplo prætulit. Deprehenderat sane et ipse animæ suæ tabernam usurariam inædificatam, aut potius turpissimum Mammonæ fanum in ea erectum; sed en quam generose hodie destructionem illius aggrediatur: quam audacter hilariterque ad Christum accedat, et dicat: *Domine, ecce dimidium honorum meorum do pauperibus, et, si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Annon hoc est, destruerre antiquum edificium, novumque Templum Deo consecrare? Sed aliud, nec minus ad initia-

tionem accommodatum exemplum audi: S. Ambrosius l. II. de prima orig. cap. x. refert, suo tempore juvenem quemdam perditissimum præditum moribus, damnatis muliercule cupispiam amoribus existisse implicitum; eum haud ita multo post (nunc utique suppremi Numinis) protectionem in remotissimas partes adornasse, intereaque temporis (ut fieri solet interdum) cum loco et amore deservisse, vitæque sanctiori veteres mores emendasse. Quid fit? Redit in patriam adolescens, sed nihilominus post tam diuturni temporis tractum temere urbem obiens, casu in improbam, quam deperierat, amasiam incidit, quæ, ut primum illum intuita est, agnovit, sed, cum ipse festinus illam prætergrediens negligeret: « Heus, tu charum caput, inquit mulier, itane me præteris? ego, ego ipsa sum illa, quam nosti. » Quid ad hæc juvenis? « Si tu es illa, inquit, abi: Ego certe non sum ille, qui fui. » Dixit, et cum dicto se subduxit. O præclarum iterum conversionis et Dedicacionis exemplum! Aspice, o peccator, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est: Obviabunt sane et tibi hodie domestici tui, et dicent: « En potatorem nostrum, qui totis hebdomadis in hospitii helluari consuevit, en patrem familias, qui nunquam orare, nunquam templa frequentare, aut Sacramenta obire solet. En adulterum, qui sine horrore obvias quasque mulieres invasit, et in fodis voluptatibus non aliter ac sus in volutabro sese hæctenus volutavit. » Sed et tu responde audacter illis: « Ego non sum, qui fui. Ecce nova faciam omnia. Deinceps me non in hospitii, sed in Templis videbitis: deinceps non comotationibus et profanis conviviis, sed Sacra mensæ acumbentem aspicietis: deinceps non fedas voluptates sectantem, sed conjugalis amoris jura fœderaque studiose conservantem cum voluptate spectabitis. » Verbo: Ego non sum ego: vosque ipsi de me testabimini, illaque Jacobi Patriarchæ verba deinceps pronuntiabitis: *O quam metuendus (et admirandus, venerabilisque) est locus iste! vere non est hic aliud, nisi domus Dei.* Et hoc tandem modo primam Templi vestri spiritualis Dedicacionem solide, fructuose, ac cum magna vestra, aliorumque lætitia peragite.

#### Pars secunda confirmationis.

Verum non contentos esse oportet hæc

prima Dedicacione, sed annua quoque pari fervore, sedulitateque peragenda; per quam nihil aliud intelligo, quam renovationem propositi semel concepti, quo Deo deinceps soli servire, ejusque cultui totos vos impendere decreveratis. Qua quidem in re pulchro nobis exemplo Religiosi quidam Ordines, præcipue veneranda Jesu Societas præclucet, ut quæ singulis annis semel iterumque votorum renovationem cum extraordinaria quadam dispositione et fervore instituit, idque ob triplicem finem. 1<sup>o</sup> Ob devotionis augmentum. 2<sup>o</sup> Ad excitandam obligationis memoriam. 3<sup>o</sup> Ad majorem in vocatione et fervore concepto confirmationem. Est quippe mens nostra nodo ex variis vinculis connexo, aut clavo in pariete intruso similis, qui, quo sæpius atrahuntur, aut intruduntur, tanto firmitus constringuntur, et inhaerent. Aut ut alii aptius ad propositum nostrum discurrunt, est animus similis horologii ponderibus, quæ semper deorsum tendunt, atque adeo perpetua iterum attractione opus habent. Est similis prunis ardentibus, quæ nisi iterum, iterumque a folle animentur, mox omnem suum calorem perdunt. Id quod more suo præclare S. Gregorius l. XII. mor. c. n. sequentibus verbis confirmavit: « Animus noster, dum igne amoris excoquitur, semper in se servat charitatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: Renovamini Spiritu mentis vestræ. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: Dixi, nunc capti: quia si lassescere ab inchoatis bonis nolimus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus. » Quod usque adeo verum esse sibi persuaserat piissimus Auctor libelli de imit. Christi, ut non horruerit dicere, ex hac frequentiori innovatione et proposito profectum nostrum in virtutis studio metiendum esse: « Secundum propositum nostrum, inquam, cursus profectus nostri, et multa diligentia opus est bene proficere volenti, quod si enim fortiter proponens sepe deficit: quid illi, qui raro aut minus fixe aliquid proponit? l. l. c. xix. » Hinc paulo post subiungit: « Circa principalia festa, renovanda sunt bona exercitia, et Sanctorum suffragia ferventius imploranda. De Festo in Festum proponere debemus; quasi tunc de hoc sæculo migraturi, et ad æternum Festum perventuri. » Quod si



ergo in Festis potissimum hac renovatio et annua Dedicatio peragenda est, quod aptius pro ea Festum eligi poterit, quam hoc ipsum Dedicatio Festum, ubi per exterioris Templi Dedicatio ad interioris Templi restorationem, novamque Dedicatio incitatur, ut, quemadmodum supra hortatore S. Augustino didicimus, quidquid in manufactis Templis agitur, totum in nobis spirituali edificatione compleatur. Hodie ergo quis se ita alloqui deberet: Ecce Dedicatio Templi nostri parochialis hodie celebratur: oportet ergo et nostri domestici Templi Dedicatio celebrare; purgemus ergo illud per confessionem sinceram a peccatorum sordibus; ornemus recentibus arboribus, id est, propositis piis, ac Sanctis desideriis; peragamus officia divina solemnius, id est, precibus et meditationibus ferventius incumbamus; offeramus et Deo sacrificium gratissimum, id est, SS. Eucharistiae Sacramentum cum magna devotione ac reverentia actualiter, aut si fieri id non possit, spiritualiter suscipiamus, instruamus denique et amicos nostris tam celestibus, quam terrestribus convivium optatissimum pure et secure conscientiae, quae, teste Salomone Prov. xvi. est iuge convivium, ad hoc enim libentissime advolubatur, utpote, qui magis gaudent super uno peccatore penitentiam agente, quam super nonaginta novem justis. Hoc sane modo et alteram Dedicatio fructuose absolvemus, tanto majorem fructum reportabimus, quanto praestantior est laetitia spiritualis, quam per eandem nobis, aliisque creabimus, quam illa, quae ex materialis Templi Dedicatio percipitur.

#### Pars tertia confirmationis.

At neque secunda haec, annuaeque Dedicatio sufficere, nisi tertiam quoque et extraordinariam suo tempore celebremus; sicut enim, ubi Templum aliquod sanguinis vel seminis scelerala effusione, vel sepultura Haereticorum pollutum est, mox prima eorum, qui curam Templi hujusmodi susceperunt, sollicitudo est, ut illud per Episcopum iterum reconcilietur; ita haec ipsa sollicitudo pro Templo nostro spirituali, ubi per peccatum mortale pollutum est, reconciliando tanto ardentius suscipienda est, quanto plura timenda sunt damna, si diu hoc Templum, anima, inquam, sine reconciliatione relinquatur; quantoque gravior anima est scordia

et culpa, si, quam tam facili negotio potuisset obtinere reconciliationem, ipsa imaginariae difficultatis horrore ac tadio victa procurare omittat. Atque ut ipsi quoque gravitatem hujus scordiae clarius cognoscant, considerate, queso, ac in memoriam revocate, quam gravibus curis, tristitibusque venterit aulici; si forte gratia sua apud Regem se excidisse, minusque gratiosos atque amabiles, quam prius fuerant, se eidem Regi factos esse advertant; annon omnem lapidem movent, ut quamprimum iterum antiquam gratiam recuperent? Annon velipse somnus ab oculis fugit, donec benignos iterum Regis oculos ad se conversos esse intelligant? Et non si gratiam summi Regis, qui aeternum nos aut felicissimos, aut miserimos efficere potest, amiserimus, nullam de ea amissa tristitiam, nullam de ea perinde ac de alia quacunque re vilissima recuperanda sollicitudinem concipimus?

Considerate praeterea, quanta celeritate plerumque homines vel Chirurgum, vel medicum accersant, si vel modicum corpori inflitum vulnus, aut morbum a Deo immissum advertant, quam nullis impensis, nullis remediis perant, quam graves etiam labores, dolores, et fastidia cum grandi patientia devorent, ut a tali vulnere aut morbo quam celerrime liberentur; et nos animam gravissimo ac periculosissimo vulnere ac morbo peccati sauciatam intuebimur, nec tamen de remedio statim applicando cogitamus, sed integris septimanis et mensibus in tam periculoso ac misero statu ultra ac sponte haerebimus? maxime cum et illud probe sciamus, quamdiu hoc morbo correpti sumus, nihil nos, quod ad aeternae vitae premium conducatur, promereri posse, atque adeo inexplicabilis interea lucri lacrymabilem jacturam pati? Quid magis, queso, mercatorem aut opificem agrum, et lecto afflixum affligit, quam quod lucro a se tan- topere desiderato interea carere cogatur? Quod si in potestate ipsorum foret, se medio etiam chariori a tali infirmitate liberare, annon eosdem celerrime illud arrepturos existimatis, et nos, quia lucro incomparabiliter majore abstinere per peccatum cogimur, non dolebimus? Non tristabimur? Quique per unicam cogitationem, per unicam contritionis actum a nobis tale impedimentum excutere possemus, tam facile, promptumque remedium non arripiemus? Considerate denique, quantis curis, angori-

busque conficiantur ii, qui forte ob capitale crimen comprehensi et incarcerati, capitis se discrimen incurrisse animadvertunt, quantis mox precibus, promissionibusque obvios quoque fatigent, ut Judicis sibi clementiam, gratiamque conciliare conentur; quod si ipsismet facultas daretur, Judicem conveniendi, precandi, flectendi, annon primo statim momento ad eundem acceleraturos, et ad genua ipsius prostratos callidissimis precibus veniam delicti, gratiamque petituros creditis? Et nos aeternae morti, supplicisque perpetuis obnoxii, quovis momento paratam Judicis supremi flectendi occasionem non pari velocitate, hilaritateque arripiemus? Quotiescumque ergo deinceps hoc Templum vestrum peccato mortali pollutum, atque contaminatum esse advertitis, mox aquam benedictam, id est, lacrymarum, quibus peccata talia depletis, affundite, Deoque Templum vestrum spirituale renuntiate. Dicite cum Davide quotidie, imo quavis hora: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super cinem dealbabor.*

Atque ut hanc ipsam reconciliationem tanto celerrime ferventiusque peragatis, credite ab ipso vos Deo ad eandem sequentibus Isaiae Prophetae verbis excitari: « Lavamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite benefacere. Neque dicat quisquam: Ego, Deo sint laudes, pollutum per grave ac mortale peccatum Templum spirituale non habeo; mihi proinde non necessaria est ejusmodi extraordinaria Dedicatio ad reconciliatio; nemo, inquam, hoc dicat, sed potius meminerit, non deesse probatos Theologos, qui affirmant, etiamsi templum non omnino pollutum, sed solummodo sordibus hominum aut peccorum inhonestatum sit, aequae benedictae asperione iterum a Sacerdote mundari, et quodammodo reconciliari debere. Quidquid tamen sit de hac sententia, id certe, qui majorem Templi sui spiritualis, id est, cordis sui curam susceperunt, hanc industriam negligere non debent; nam, ut recte S. Hieronymus epist. iii. pronuntiavit: « Mens Christo dedita, aequae et in majoribus, et in minoribus intenta est,

sciens, etiam pro verbo otioso reddendam esse rationem. » Et quis est vobis, qui, si forte in Templo hoc materiali stercora canum aut aliorum animalium in pavimento jaentia videat, aut telis araneorum obducta scamna vel aliarum advertat, non vehementer auditio indignetur, ejusque scordiam carpat, si ea non quamprimum, removere studeat? Quidni ergo multo magis quisque sibi ipsi indignetur, si templum suum spirituale sordibus peccatorum venialium undique fedatum, aut imperfectionum variarum araneis obducant mentem suam reperiit? Quidni seipsum tanto acrius ad sordes has quam celerrime auferendas exstimulet, quanto gravius oculos Dei et Sanctorum offendunt ejusmodi peccata venialia, quam sordes animalium displicere solent mortalium oculis. Audiant proinde isti S. Bernardum S. i. in convers. S. Pauli salubriter monentem: « Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non curo corrigere. Non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis; haec enim, dilectissimi, impenitentia, haec blasphemiam in Spiritum sanctum, haec blasphemiam irreversibilis. » Nam, ut sapienter quoque S. Paulinus ep. xiv. pronuntiavit: « Nescio, an possimus aliquid leve peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod jussum est, quam quis jusserit: neque quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. » Adde, quod plerumque Patres spirituales ista peccata, si non ob gravitatem, ob multitudinem certe non immerito timenda ac fugienda esse affirmant. Unde praefate S. Gregorius l. iii. pastor. c. xxxiv. « Admonendi sunt, inquit, qui, quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent, qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua, si despicunt timere, dum pensant: debent formidare, dum numerant. » Maxime cum, ut idem S. Doctor alibi hom. lvi. advertit: « Nonnunquam in parvis delictis, quam in majori peccato; major enim, quo citius culpa cognoscitur, eo etiam celerius emendatur; minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pejus, quo etiam securus in usu retinetur. » Etiam de his ergo quis mox reconciliationem instituat, illaque sibi Stracidis verba c. xxi. dicta putet: « Fili, peccasti, ne adjuce iterum, sed et de pristinis deprecare, ut dimittantur tibi. » Dic iterum cum Propheta Ps. vi. *Lavabo per singulas noctes lec-*

lum (aut potius Templum) meum, lacrymis meis stratum meum (aut animum reclus) rigabo.

*Epilogus.*

Atque ex his modo satis, ut spero, patet, quomodo Dedicatio triplex, de qua in propositione locutus sum, fructuose a vobis sit peragenda; superest, ut manum operi admoveatis, et ita triplicem hanc Dedicacionem tam hodie, quam deinceps celebretis, ut tantam verum Dei Templum perpetuo ab eodem inhabitari, donisque ac gratiis eius repleri, et tandem in coeleste quoque Templum transferri mereamini, ubi perpetuam Dedicacionem et festivitatem celebrare, Deumque cum omnibus Sanctis in omnem aeternitatem laudare possitis. Amen.

*Alii Conceptus de eadem materia.*

I. Præter Conceptum priori paragrapho assignatum, posset ex occasione sententiæ ex S. Augustino ab initio prioris concionis recitata ostendi etiam, quomodo quisque Dedicacionem spirituale celebrare, sequè ipsum Deo in Templum spirituale offerre, et consecrare debeat. Eum in finem demonstrari 1<sup>o</sup> deberet, quomodo area cordis eligenda, et, si quidem ibidem aliud ædificium, v. gr. Veneris, Bacchi, Mammonæ ædificium conspiciatur, mox penitus destruendum sit, uti in prima parte prioris concionis ostensum est. 2<sup>o</sup> Quomodo fundamentum solidum fidei vel humilitatis ponendum; nam, ut recte S. Gregorius l. VIII. mor. dixit: « Perit omne, quod agit, si non in humilitate solidatur. » 3<sup>o</sup> Quomodo parietes quatuor Cardinalium virtutum, Prudentiæ, Justitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis erigendi. 4<sup>o</sup> Quomodo tectum per perseverantiam imponendum; nam juxta S. Hieronymum l. I. contra Jovin. « In Christianis non quæruntur initia, sed finis. » Et, ut S. Gregorius l. mor. ait. « Incassum bonum agit, si ante vite terminum deseratur. » 5<sup>o</sup> Quomodo altaria diversa erigenda per devotionem ad certos Sanctos, præcipue tamen altare summum, constituendo ibidem tabernaculum mundi cordis pro venerabili asservando, lampademque auream divine charitatis suspendendo. 6<sup>o</sup> Quomodo Chorus ædificandus per varias preces ardentes persolutas: *Confessionale* per

frequentem sui coram Sacerdote, ut Deo certe accusationem: *Cathedra* pro concione sibi ipsi suo tempore habenda: *Gazophylacium* geminum Misericordiæ vivis et defunctis exhibenda. Quæ omnia facile fusius, practiceque explicari possunt.

II. Ostendi posset, quomodo anima nostra sit Templum omnium præstantissimum, et ipso etiam Salomonis templo præstantius. 1<sup>o</sup> Quia majori sumptu, scilicet pretio infinito Sanguinis et meritum Christi constitit. 2<sup>o</sup> Quia magis ornatum est auro charitatis, et insuper præstantissimis Reliquiis, id est, exemplorum a Sanctis relictorum memoria instructum. 3<sup>o</sup> Quia Officia divina et cultus Dei gratiori longe modo peraguntur. 4<sup>o</sup> Quia est magis celebre ob miracula et preces exauditas. Exhortandi proinde Auditores, ut, quemadmodum Salomon Dedicacionem sui templi summa cum letitia et solemnitate celebravit, ita et ipsi similem Festivitatem hodie instituant, Præterea vero sedulo curent, ut et mundum semper hoc templum conservetur, et debitus Deo, Sanctisque cultus accurate suo tempore persolvatur, ne aliqui eveniat illi, quod Hierosolymitano accidit, ut scilicet propter negligentiam custodia omnino evertatur, flammisque perpetuis subjiciatur.

III. Ostendi posset, quare Ecclesiæ potissimum sint ædificate et consecrate, scilicet ut essent *Domus Orationis*, seu ut meminisset, in iisdem fere casibus ad Ecclesiam per preces nos confingere debere, in quibus ad domum nostram materialem confugimus, quando extra illam versamur, scilicet, 1<sup>o</sup> Quando corpus cibo reficere volumus; ubi Sacramentorum usus, et præcipue SS. Eucharistiæ commendandus. 2<sup>o</sup> Quando pecunia aut alia quæpiam re indigenus; ubi frequentia orationis in templo commendanda. 3<sup>o</sup> Quando pluvie ingruunt; ubi recursus ad Deum in tribulationibus persuadendus. 4<sup>o</sup> Quando hostis insidiatur; ubi orationum jaculatoriarum creber usus inculcandus, et harum precum utilitas et efficacia ostendenda. 5<sup>o</sup> Quando quiescere, somnoque vacare volumus. Ubi precum vesperi persolvendarum consuetudo pia commendanda. Excitandi proinde Auditores, ut ob hos fines diligenter templa frequentent, et a variis insolentis in Ecclesia committi frequenter solitis diligenter abstineant, ne ipsi audire cogantur: *Domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

IV. Posset ostendi, quomodo Templum va-

riarum domuum officia finesque contineat. Et 4<sup>o</sup> quidem, quomodo, sit *Domus orationis*, ein *Bethauss*, ut meminimus, quod potissimum sit officium nostrum, quando Templum frequentamus, scilicet orationi et colloquio cum Deo vacare, unde ante fores Templi dicendum omnibus curis: *Sedete hic, et requiescite, donec vadam illuc, et orem.* 2<sup>o</sup> Quomodo sit *Domus annonaria*, ein *Proviants-Hauss*, ubi præstantissima annona SS. Eucharistiæ et Verbi divini asservatur et comunicatur, ad quam proinde diligenter suo tempore petendam animandi sunt Auditores. 3<sup>o</sup> Quomodo sit *Domus vigiliarum*, ein *Wacht-Hauss*, ubi ipse Christus vigilat, et contra hostes defendit; unde tempore tentationum maxime ad hanc Domum confugiendum, auxiliumque adversus hostes petendum. 4<sup>o</sup> Quomodo sit *Domus infirmorum*, ein *Lazaret-Hauss*, ubi virtus exit de Christo, et sanat omnes. Unde merito frequenter suas huic medico infirmitates et vulnera aperire debentur. 5<sup>o</sup> Quomodo sit *Domus consilii*, ein *Rath-Hauss*, ubi vel maxime de Christo ibidem consilia suggerente sibi quisque dictum existimare debet illud Siracidis c. vi. « Multi pacifici sint tibi, et consiliarius sit tibi unus de mille. » Sicut Moyses semper recursum habuit ad Tabernaculum pro dubiis et questionibus solvendis, fugitque ad orationis adiutorium pro periculis et improbitatibus hominum solvendis, ut loquitur Thomas Kemp. l. III. c. xxxviii. 6<sup>o</sup> Quomodo sit *Domus recreationis*, ein *Lust-Hauss*, ubi deliciæ Christi sunt esse cum filiis hominum: quidni et vicissim hominis deliciæ sint esse cum Christo, et suavissime cum ipso conversari, imo et epulari? 7<sup>o</sup> Quomodo sit *Domus habitationis*, ein *Wohn-Hauss*, et palatium summi Regis Christi, atque adeo illuc frequenter nos comparere, Regi nostro servire, variasque ab eo gratias ac dona petere, et expectare deceat. Quæ omnia facile ex natura et sine istarum diversarum domuum fusius diduci possunt.

V. Posset ostendi, quomodo in templo digne versari, atque adeo finem, ob quem templa instituta sunt, obtinere possimus, nimirum si bene discamus, et exerceamus artem orandi, quæ proinde doceatur, dicaturque, eam tribus præceptis comprehendi, quorum primum est, ut magni fiat oratio juxta illud S. Augustini: *Recte novit vivere, qui recte novit orare.* Ubi alia quoque motiva ad hanc estimationem ingenerandam conducentia proponi possunt. Alterum est, ut omnes vires et in-

dustriæ adhibeantur in oratione rite peragenda; si enim S. David l. PARAL. XXIX. de seipso dixit: *Totus viribus preparavi impensus domus Dei mei; neque enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* Quanto magis totæ vires in ipsam orationem, propter quam templum ædificatum est, impendendæ erunt, atque adeo ejusdem Davidis Ps. XLVI. monitum observandum: *Psallite Deo nostro, psallite Regi nostro, psallite; Psallite sapienter.* Ubi voce *psallite* quinquies repetita insinuat psallendum esse per linguam *distincte*: per memoriam *attente*: intellectum *intelligenter*: per voluntatem *ardenter*: per corpus *recenter*. Tertium est, ut Christi monitum Discipulis datum: *Vigilate, et orate:* diligenter observetur, atque adeo adversus omnes tentationes et illusiones Dæmonis orationem impedire molientis accurata vigilia instituat, præcipue contra illam tentationem, qua persuadere conatur, ad nihil utilem esse orationem, eo quod perraro id, quod petitur, impetretur cui proinde tentationi ut facilius occurrant Auditores, afferantur cause, cur Deus non exaudiat, nempe quia vel impedimentum ipsi ponimus, opponendo nubem peccati mortalis, ne transeat oratio: vel quia male petimus; ut in peccatis, nostris consumamus: vel quia tardius dando commendare vult Deus dona sua, non negare. Claudatur concio illis Apostoli ad PHILIP. IV. verbis: *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, et observatione cum gratiarum actione petitiones vestre innotescent apud Deum, etc.*

VI. Posset alio modo modus digne conversandi in templo declarari, ostendendo scilicet, et quid ad orationem in communi requiratur, et quam variis modi orandi a variis adhiberi possint. Dicit proin Concionator in exordio, antiquam esse consuetudinem, ut in Festo Dedicacionis varis res venales proponantur, et unus amicus alteri donum aliquod eeneziale (ein *Kirchwehshenkung*) offerat. Hunc proinde morem et se servaturum, eumque in finem emisse libellum peccatorum, sex tantum foliis constantem, in quibus tamen tota ars præcandi contineatur, et in quo omnes inveniunt preces pro se aptissimas. Libellum autem hunc esse 1<sup>o</sup> nigra pelle de corio Gordenheim (von *Cardabon*) vestitum, qua humilitas in oratione tenenda significatur; nam *Oratio humilientis se penetrabit nubes*, teste Siracide Eccl. XXXV. *et donec propinquet, non consolabitur; et non recedet, donec respiciat Altissimus.* 2<sup>o</sup>

Auro illorum, ad charitatem, et gratiam significandam, sine qua inefficax est omnis oratio, cum peccatores Deus non exaudiat, teste S. JOAN. IV. c. III. Argenteis clausuris præditum, ad significandam puritatem et fiduciam, quæ ex ea oritur juxta illud I. JOAN. III. *Charissimi, si cor nostrum non reprehendat nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus, ab eo.* 4º In una facie operculi Christum ex auro efformatum esse, quasi libellum offerentem, in quo hæc verba notata sunt: *Petite, et accipietis*: seu Germanice: *Allein was von ihm begehrt, der gülig Gott den menschen beschert*. Quibus verbis necessitas orationis ostenditur. In altera facie expressum esse sanctum, ejus honori Templum hoc edificatum est, habentem librum in pectore, cum hæc inscriptio: *Recte novit vivere, qui recte novit orare*, seu Germanice:

Sein geben wird recht flollen an,  
Der wolt und entrilt betten kan.

Post hæc varii modi orandi proponantur. Et in primo quidem folio dicitur, depictum esse Isaacum in agro meditantem, cum hæc inscriptio supra imaginem posita: *Egressus fuerat ad meditandum in agro*. GEN. XXIV. infra autem: *In meditatione mea exardescet ignis*. Per quæ verba primus modus orandi, Religiosis maxime conveniens indicatur, de cujus utilitate et praxi breviter aliquid dicendum erit. In secundo folio dicitur pius David cum cythara, et hac inscriptio supra: *In conspectu Angelorum psallam tibi*. PS. CXXXVII. infra: *Psallite Regi nostro, psallite: Psallite Deo nostro, psallite; Psallite sapienter*: per quæ verba oratio vocalis longior Clericis speciatim conveniens indicatur, et per verbum *psallite* quinque repetitum conditiones quinque ad orationem talem requisitæ (de quibus in priori paragrapho dictum) innuuntur. In tertio folio dicitur depicta honesta Virgo sagittam ex corde emittens cum hæc inscriptio: *Acute sagittas, parate pharetras*. JER. LVI. infra: *Orantes nolite multum loqui*. MATTH. VI. quibus verbis indicatur tertius modus orandi per preces jaculatorias tantopere a SS. Patribus commendatus propter fervorem, attentionem, et dispositionem majorem. Et hic modus laboriosus, et occupatis hominibus maxime convenit. In quarto folio depictus dicitur Daniel Propheta in cœlum suscipiens, et suspirans cum hæc inscriptio: Supra *Noli timere, vir desideriorum*.

DAN. X. infra: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*. PSAL. X. ubi modus orandi valde efficax per desideria indicatur, quia « coronat Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem, » teste S. Augustino. Et hic modus simplicibus hominibus est singulariter suadendus. In quinto depictus dicitur Organædus organum pulsans cum hæc inscriptio: *Laudate eum in chordis et organo*. PS. CI. infra: *Qui conservat legem, multiplicat orationem*: quibus verbis significatur modus orandi per opera obedientiæ diligenter peracta, hominibus quæcumque ratione ab orando impeditis perquam accommodatus, de quo locutus est S. Augustinus in Ps. CI. dicens: « Vis semper laudare Deum? Benefac omnia, quæ facis, et laudasti Deum. » In sexto denique tres pueri in fornace Babilonica depicti dicantur cum hæc inscriptio. Supra: *Benedicite omnia opera Domini Domino*. DAN. III. infra: *Benedicite filii hominum Domino, laudate, et superexaltate eum in secula*. In quo folio significatur modus orandi omnibus communis per creaturas, S. Antonio familiaris, ut qui mundum dicebat esse magnum librum, in quo universi homines copiosam meditando materiam inveniant. Qui omnes sex modi orandi fusius explicari et commendari poterunt.

VII. Posset ostendi, quomodo Ecclesia sit cœlo similis juxta illud S. Nili Episcopi: « Ecclesiam ut cœlum adi. » Id vero probari poterit 4º ex eo, quod Deus in Templo perinde vere habitat, sicut in cœlo juxta c. XXVIII. GEN. *Vere Dominus est in loco isto. Quam terribilis est locus iste; non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli.* 2º Quia in templo perinde laudatur assidue Deus, ac in cœlo, unde et Angeli soepe visi sunt orantibus se miscuisse, atque ad laudes Dei debita cum reverentia canendas incitasse. 3º Quia sicut in cœlo perpetua quies et lætitia reperitur, ita in Templo quoque solida, et constans ex Dei consortio et alloquio consolatio percipitur. Hinc idem S. Nilus recte monet, nihil agendum aut loquendum in Templo, quod terram sapiat. Videatur Faber in Auctario in Festo SS. Philippi et Jacobi, them. III.

VIII. Possent proponi et castigari abusus in Dedicatione Templi committi soliti, et demonstrari, quod, si experientia consulatur, magis Festum Diaboli, quam Dei esse conperiat. 4º Quia Templum Dei, id est, animas quam plurimi Baccho et Veneri consecrant. 2º Quia loco Templi frequentantur hos-

pitia, et loco orationis et concionis vacatur lustribus, computationibus, et colloquiis parum honestis. 3º Quia loco interioris renovationis renovantur mala proposita peccandi, et omnes alias absurditates, et fraudes committendi. Ut vero a talibus abusus tanto diligentius abstant, ostendatur, quantam ex talibus abusus injuriarum Deo, et quanta damna sibi ipsis et aliis creent.

Quomodo ex occasione Dedicationis aliæ doctrina Auditibus inculcari possit.

#### Thema.

Hodie salus facta est huic domui. LUC. XIX.

#### Scopus.

Ars bene et Christiane administrandi familiam (diè Kunst wohl zu hausen) docenda.

#### Syllogismus principalis.

Ille ars studiose est addiscenda, a qua totius domus salus dependet; atqui talis ars est ars bene administrandi familiam; ergo hæc studiose est addiscenda.

#### EXORDIUM.

Si hodie mihi Auditorum meorum corda inspicere, eorumque desideria examinare liceret, non dubito, quin multos in hæc vel similia suspiria erupturos adverterem. O si et ego aliquando tam fortunatus essem, ut Christus apud me divteret, efficaciterque mihi perinde, ac olim Zachæo, diceret: *Hodie salus facta est huic domui*. Tunc enim vero lætus Dedicationem celebrarem. Nunc vero qua ratione festivitatem hodiernam cum lætitia celebrabo, qui, quod rodam domi non habeo: qui rem meam familiarem in dies pejus administrari adverto; qui nihil nisi miseriam, inopiam, discordiam, et angustiam domi meae invenio. O utinam tandem adesset finis malorum! Utinam veniret, qui benedictionem domui meae afferret! Ita, inquam, non paucos hodie suspiraturos, miseriamque suam deploraturos existimo, si singulorum corda inspicere liceret. Quorum

proin commiseratione tactus, viam ipsis ostendam, qua ratione non tantum ab inopia, miseriaque liberari, sed etiam copiosam a Deo benedictionem impetrare queant. Verbo, docebo vos artem, quam omnes discere, scireque utpote summe necessariam desideratis, artem scilicet bene et Christiane rem familiarem administrandi, taliaque præscribam præcepta, quæ si diligenter, atque constanter observaveritis, certo vobis polliceor, adeo prospere vobis cessura omnia, ut cum veritate dici de domo vestra possit: *Hodie solus facta est huic domui*. Quanto majorem itaque ex hac concione fructum, consolationemque sperare jure merito potestis, tanto magis benevolens, attentasque aures dicenti mihi vos præbituros confido.

#### Pars prima.

Quinque potissimum præcepta reperio, sine quibus difficulter res familiaris bene administrari, et optata a Deo benedictio obtineri potest.

Primum in iis Christi Servatoris nostri verbis continetur: *Reddite, quæ sunt Dei, Deo, LUC. XX.* seu in illis: *Querite primam regnum Dei, MATTH. VI.* Quibus verbis nihil aliud significare volo, quam quod ante omnia vobis committendum sit, ut Deum debito modo colatis, id est, ut firmiter credatis, ipsum in omnibus, quæ dixit et promisit, esse summe veracem et fidelem: ut firmiter quoque speretis, eum, quod promisit, præstiturum, atque adeo non æternam dumtaxat felicitatem, si bene vixeritis, concessurum, sed etiam in hac vita omnia ad sustentationem necessariam liberaliter subministraturum: ut sincere eum diligatis, voluntatem vestram cum illius voluntate in omnibus conformantes; ut denique suis temporibus ei per veram religionem seu per adorationem, invocationem, laudationem, sacrificii oblationem, in additione Missæ, Sacramentorum usu, debitum obsequium præstetis, et velut supremam vitam, necisque vestre Dominum et Auctorem agnoscat. Hunc itaque cultum ante omnia aio diligentissime reddendum, quia sine eo nullum in re familiari, et laboribus vestris successum: ac benedictionem sperare potestis; verissimum enim est, quod jam pridem S. David Ps. CXXVI. pronuntiavit: *Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædifi-*